

QUÆSTIO XI V.

Quanam sint ista naves, quarum tertia pars interempta est?

142. Dicitur in text. quod cum mons magnus, & ardens missus esset in mare, tertia pars navium interit. Beda ait, aliam editionem habere, tertiam partem navium corrumpunt. Naves in presenti, rectores, ac gubernatores, alique eminentiores, denotant; quomodo ergo dicitur, quod aliqui, scilicet eorum, qui habebant animas in mari, seu vivebant in mari, hanc tertiam partem navium corruperunt juxta citatam versionem? cum hi, qui erant in mari: personas subditorum agerent, tales sua prava doctrina, suo malo exemplo, si a jure pervertitate superiores infecerunt, ac depravarunt; sic ait præfatus Beda, Alia editio, que habet, & tertiam partem navium corruperunt; significat, quod pars tertia, que mortua est, aliam tertiam, id est, succedentes sibi occiderunt noxia traditione, & inutili imitatione doctrina.

143. Tamen vulgaris editio habet: Tertia pars navium interit, id est, tertia pars Prælatorum, qui per naves significantur, à fide, ac sana doctrina defecerunt, ut dixi in expositione; & rectè Prælati, tanquam naves, alios debent portare, tanquam super humeros, ac manus ad salutem: quod valde familiare est omnibus Prælati. Unde Moyses dicebat ad Dominum: Nunquid ego concepì omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum. Num. 11. n. 12. Quod id ipsum Deum, omnium gubernatorum exemplar, fecisse, testatur Moyses, Deuter. 1. num. 3. In solitu dine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum. Quod etiam testatur Oleeas 11. n. 3. Ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis.

144. Et ipse Dominus, Deuteronom. 32. num. 10. Invenit eum in terra deserta, in loco horrois, & vasti solitudinis, circumduxit eum, & docuit, & custodiavit, quasi pupillam oculi sui: sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Et Exod. 19. n. 4. sic ait, Vos ipsi vidistis, que fecerim in Ægyptiis, quomodo portaverim vos, super alas aquilarum, & assumpserim in sinu meo. R. Salomon, & Cajetan, referunt, aquilam pullos non ut alæ solent aves, unguibus portare, sed locatos in humeris, protegere alarum expansione; ut quamvis eos quis ab imo jaculis petat, vulneret ipsam potius, quam illos; ideo Deus, cum ducit Israelitem per desertum, similitudinem aquilarum proponit, quia eos veluti super humeros portabat, tanquam se exponens periculis detractionis, ac murmurationis, ut eos custodiret, ac protegeret.

145. Cum Moyses creatur à Deo Dux, ac princeps populi Israelis, ait illi: Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinum, protulit leprosam, instar nivis. Retrahe, ait, ma-

num tuam in sinum tuum, retraxit, & protulit iterum, & erat sibilus carni reliqua. Exod. 4. num. 6. 7. Per illam manum Moysis, populus Israel, quem Deus in manu ejus ponebat, significatur, ut docent Diodorus, D. Augustinus, Procopius, & Theodoretus, apud Lyppoman, Procopius, & Theodoretus, quæst. 10. in Exod. Quid est, quod cum populus datur in manu Moysis, per ipsam manum significatus, repositus tamen in sinu, modò apparet sanus, modò leprosus? Quia ipse populus, cujus curam ipse gerebat, qui antea erat infirmus, ac leprosus tyrannide, ac malis moribus Ægyptiorum, cum fovendo portandò, ac gestando in sinu suo, seu corde suo, eum debebat mundare curare ac sanare. Taliter se tenebatur gerere erga populum sibi junctum, ac nutritum, quæ infirmum puerum portat in sinu, ut eum valeat recreare, ac perfectæ sanitati restituere. Lyranus. Consideretur populus sub cura Moysis, & ad hoc referitur signum manus, que primo posita intra sinum, facta est leprosa, & secundo ibi reposita, sanata est, per quod designabatur, quod filii Israel, quando primo suscepti sunt cura Moysis, quæ cura sinu notatur, per hoc magis fuerunt abominabiles Ægyptiis, & quasi in conspectu eorum fetidi; sed per manus sanationem in sequenti repositione, designabatur consolatio ejus suiura per curam Moysis.

146. Cuius igneo ferebatur patens. Elias in cœlum, quod cum videret Elias, clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. num. 12. Valde inter se distant currus, & auriga, si El as erat auriga, quomodo currus? Nam auriga ducit, currus portat, si gubernat, ergo erat auriga quomodo currus? Ex eo quod erat auriga, & tanquam rector alios ducebat, erat exinde currus, ut eos super se, superque humeros suos portaret. Abulens. quæst. 19. Elias, ait, currus, & auriga, ad currum pertinet sustentare, sic Elias sustinuit Israel, supportandò ac fectus eorum: vocatur, & auriga, quia ad aurigam pertinet dirigere, sic Elias dirigebat Israel, revocando ad cultum Dei. Et nota, quod prius dicitur currus, deinde auriga; quia in gubernatore, prius debet esse affectus alios portandi, quam regendi, ac gubernandi.

147. Apoc. 8. n. 10. Et tertius Angelus tuba cecinit; & cecidit de cœlo stella magna ardens, tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & fontes aquarum.

148. Num. II. Et nomen stellæ dicitur absynthium, & facta est tertia pars aquarum in absynthium, & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amara facta sunt.

VERSIONES.

Syrus. Et ille Angelus claxit, & cecidit

QUÆSTIO XV.

Quare cum stella ex se multum benigna, hæc tamen magna, & ardens multum nocua exiti mundo?

Arabicus. Tertius Angelus claxit buccina; & ob id cecidit stella magna, sicut fax ardens. Arias. Tertius Angelus claxit buccina; & ob id cecidit stella magna super terram. Syrus n. II. Et nomen stellæ absynthium. Arabicus. Erat nomen stellæ amaritudo; quare mortui sunt plures homines, ob amaritudinem aquæ. Primas. Et nomen stellæ absynthium. D. August. Et amaricaverunt aquæ.

EXPOSITIO VII.

147. TERTIUS Angelus tuba cecinit, id est, tertius ordo, seu classis Doctorum: ac Prædicatorum: adversus hæreticos, jam cepit insonare, ac predicare, & cecidit de cœlo, ab unitate nempe Ecclesiæ, quæ cœlum, seu regnum cœlorum frequenter dicitur. Stella ardens, id est, aliquis insignis hæresarcha, vel cœtus hæreticorum, ardens, invidia, nempe rabie, ac furore; & inde dicitur, tanquam facula, quæ per se habet nigredinem; ac fumum suæ malitiæ, nequitie, ac pervertitatis; cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum; per fontes aquarum intelligitur sacra Scriptura, cujus haustu mens viri boni sitibunda recreavit; & has salutiferas aquas malè torquent hæretici ac suos falsos errores tertiam partem fluminum, id est, sacram doctrinam antiquorum Patrum, eorumque libros, ac documenta; & dicitur tertia pars, ob magnam multitudinem librorum, ac hominum, quos hæretici corruperunt.

148. Nomen stellæ Absynthium: Absyntheon est herba amarissima. Hæresarcha sic dictus, ob amaritudinem suæ hæreticæ doctrinæ, & facta est tertia pars aquarum in absyntheon: Multi nempe à fide deficientes transmutati sunt in amaritudinem hæreticæ pravitatis; & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amara facta sunt. Christianorum (maximè simplicium) animas perdidit, depravato, ac hæretico sensu, sacram doctrinam corruptente.

149. Alcazar. contendit, in hac tertia plaga intelligi pestilentiam, qua Judæi laborarunt in obditione Jerosolymitana, ut testatur Josephus lib. 7. belli Judaic. 17. Euseb. Euseb. lib. 2. c. 6. & lib. 3. cap. 3. Jam satis supra ostendi, de his hic non agi. Deinde pestis Jerosolymitana non est facta ex influxu stellarum, vel vitiis fontium; aliàs corrupisset etiam Romanos, non minus, ac Judæos; facta est ergo illa pestis ex maestitudine animi, fœtore corporum, & vitiatis cibis, atque attractu vitiorum corporum.

150. Secundo, Ribeira, Cornel. & alii dicunt, quod hæc stella de cœlo, scilicet aëreo, cadet, sed que casu dissiliens, comminuta dividetur in multas faculas, sive exhalationes, quæ in varios fontes, & flumina incidentes, eos inficiunt. Vocatur Absynthium, quia amaricabit aquas, idque in penam sceleratæ voluptatis, ac præsertim guræ, & crapulæ impiorum, ut qui biberunt vina dulcissima, hinc ventrem ingurgitaverunt, jam bibant Absynthium, eoque crucientur; & vexentur. Ita Cornelius.

151. Multa contra hanc sententiam pugnant, & primo: Quia Apocalypsis est quoddam enigma, & omnia hic sunt ænigmatica ut patet in his, quæ canente quarto, quinto, sexto, & septimo Angelo, facta sunt; ergo etiam, quæ in hoc tertio Angelo. Secundo, quid fiet de bonis, in quorum caput maximè hoc infortunium recideret, cum ipsi maximè abstinentes sint, & aquam bibant? Tertio, si aqua ita amara, ac pestifera facta fiat, cur non dicitur, quod similiter piteces in aquis viventes, mortui, sunt, ut dictum est, secundo Angelo tuba canente?

152. Simpliciter dicendam est cum tertia, & vera sententia, quod tertio Angelo canente, hoc est, tertio concionatorum ordine insonante, stella magna, & ardens cecidit de cœlo, Hæresarcha quidam, maximè divisus, ac separatus ab unitate Ecclesiæ; ira D. Aug. Par non. Albert. Magn. D. Thomas, Richard. Ansbert Haymo, Aretas, Hugo, Aureol. Lyran. Viegas, Ferrar. & alii.

153. Aureolus, & Lyranus dicunt, hunc Hæresarcham esse Pelagium, Joachimus, Arrium, qui ob motum honestatem, & multam scientiam, unum de magnis luminaribus cœli esse inter Clericos putabatur. Ita Joachimus. At vero Ferrarius existimat, hanc stellam magnam esse Origenem; nam hic tanta sapientia resplenduit, ut multa millia librorum ediderit, ita pietate insignis, ut martyrii ardore incensus esset, & maximè affectaverit, se in manus persecutorum tradere, & nimis charitatis ardore se

Sacra Scriptura fons recreantis.

151. Vera sententia.

152. D. August. Albertus. D. Thom. Richard. Ansbert. Haymo. Albertus. Haymo, &c.

153. Aureol. Lyran.



Epiphanius... Richardus... Albertus Magnus... Joachimus... Philo Carpat... Habacuc... Septuaginta... Hieronymus... Epiphanius... Richardus... Albertus Magnus... Joachimus... Philo Carpat... Habacuc... Septuaginta... Hieronymus...

Inter quinque Reges, qui bellum inierunt contra Sodomam, ac captivum adduxerunt

Sanctus Loth, eorum Princeps ac primus erat, Genes. 14. Annapol Rex Semaar. Gen. 14. num. 1. in hoc Rege lignificari haereticos, docet glossa, & re-

QUESTIO XVI.

Quare haec stella cadens, dicitur absyn- thium, & multorum ruinam inducit?

Absinthium herba est, cujus faciunt mentionem Plinius libro 27. c. 7. Dioscorides libro 3. capite 25. quae ita est amara, ut nullum animal illam tangat, ob suam amaritudinem, inde à verbo tangere per antiphrasim ejus nomen à verbo Græco derivant communiter.

Stella ex se valde salutaris, sua benigna influenza omnia suaviter fovet; haec tamen cadens, ita austeras, & amaras, ut dicitur absynthium, quod amarissimum est. Cardinalis Hugo: Cecidit de caelo, id est, de Ecclesia, Stella magna; id est, cunctus haereticorum: dicitur absynthium, quia amaritudinem perturbationis inducit in Scriptura, & quisquis ab eis inducitur in amaritudinem prave intelligentie, & mortis spiritualis inducitur.

Quod rectè hic docet D. Thom. Nomen stella, ait, dicitur absynthium, id est, amaritudo: quia potum amarum ministrat haereticis, dum eis pravas expositiones suggerit; ministrat etiam per eos alii: sicut etiam absynthium herba amarissima, sic Diabolus in eis amaritudinem, qui male sapient, facit: quia anima eorum amaricitur per errorem, & tandem condemnationem.

Nomen hujus stellæ in qua haeretici denotantur, dicitur absynthium, id est, non solum dicitur res amara, sed etiam ipsa amaritudo in abstracto, quia Diabolo suggerente, quidquid haeretici suis assecclis ministrant, totum amarum & mortiferum est. Quo sensu Rabbanus Maurus libro 1. Comment. in Proverbia, explicat illa verba c. 19. n. 13. Tella pestilensia, ligiosa mulier flebens ad impios haereticos, ita ut per mulierem ligiosam haereticum interpretetur, & sic ait; post multa de hac re. Tella pestilensia, mundas quidem pluvias guttas accipiunt, sed in domo sordidas reddunt, & haereticus limpidissimum oraculi verba auditis corporis

audis, at ubi haec corde polluto attigerit, auditibus suis mixta ministrat.

Secundò, ut habet Text. Et nomen stella dicitur absynthium & facta est tertia pars aquarum in absynthium. Quid habet commune stella cum aquis, ut scilicet eum stella dicatur absynthium, etiam aquæ in illud vertantur, ut absynthium dicantur. Nonne aqua populì multus? Stella ut supra diximus Prælaturam designat; non ergo mirum, si stella dicatur, vel propter haeresim vel propter grave aliquod peccatum absynthium; quod etiam aquæ in illud convertantur, quia à præfule Ecclesie labente; ejus grex faciliè à recta via deficit, & cadit, pro quo scribit Primas. Quia ruina majorum, ait, solet vexare quamples, ideo super partem fluminum, & fontium stellam memorat accidisse; cujus nomen absynthium, pro grandi amaritudine ponitur; talibus namque cadentibus, plures novimus infirmari, & pessima doctrina mutatione corrumpi.

Tertiò, docet Aretas, Absynthium vim oculorum maximè acuit, ut splendidius videant; quod etiam in præfenti rectè convenit, nam exorta haereticorum tempestate Ecclesia maximè proficit, splendidiores doctrinæ ac veritatis radios, mediis conciliis, ac doctoribus undequaque emittens: Ipsa hæreticalis calamitas maximè Ecclesie; ejusque filiorum visum acuit ad haereticorum perverstatem refutandam, arguendam ac conculcandam. Sic ait citat. Aret. Transmutat autem in eo quod salvari mod per amaritudinem visum sibi corroborent. Nam ut ait Paul. 2. Cor. 4. n. 6. Jubeat namque Deus. De tenebris lucem splendescere. Et ut ait D. Hilar. l. 7. de Trin. Proprium hoc Ecclesia est, ut tunc vincat, cum læditur, tunc intelligat, eum argatur. Et Nazianz. orat. in funere Patris. Calamitas inventrix est ingeniosa. Et D. Ambros. cap. 2. Enarratio in Job. Job in sterquilino mysteria loquitur.

Ait H. bacuc. Propheza 3. n. 11. In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. Quænam connectio sagittarum cum luce, & hastæ cum splendore; sagitta transigit, hasta vulnerat, & cruentat, quomodo ergo habent lucem, & splendorem; ut Deus peccatorem in suis vitis demersum, à tanta miseria eruat, ipsum percutit, & sagittat jaculis tribulationum, quæ pro luce, ac splendore inserviant ei, ut suam miseriam conditionem recogitet, & se totum ad Deum convertat. Rupertus ibi. Sagitta tuæ, ait, & fulgurans hasta tuæ, id est plaga tuæ, & eruditio tua lumen populo tuo praebuorunt.

Ait Jeremias 16. num. 20. Vitula elegans, atque formosa Egyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei. Ac si dixisset, Egyptus valde perfimilis est vitula pingui, formosa ac, lasciventi, quæ maxime jugum recusat, & post amores suos inpergit: At ab Aquilone à quo panditur omne malum. Jerem. 1. num. 14. Doctrinæ stimulus occurret ei, jab ipso enim calamitatis malo, cum pungat ac exagitet, tanquam ab optimo præceptore edocita cogitur jugum suscipere.

Pro quo maxime facit, quod cum in exordio suæ legationis Moyses Pharaoni loqueretur. Hæc dicit Dominus Deus Israel, dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Tunc Barbarus respondet. Quis est Dominus? ut audiam vocem ejus & dimittam Israel. Nescio Dominum, Israel non dimittam. Exod. 5. num. 1. Et tamen ipse

postea multis calamitatibus, ac plagis vexatus, Plaga & lam jam modestus, ac quasi pius, & fidelis ait; bor ante eruditionem. Exod. 8. num. 8. Orate Dominum, ut auferat ranas. Exod. 8. a me Et n. 29. Ego dimittam vos, ut sacrificetis Domino Deo vestro, &c. rogate pro me Septuag. legunt. Orate pro me ad Dominum. Ecce qui paulò antea Deum ignorabat, & pernegabat, unde illi, ut Dominum confiteatur, ac tam eiò ejus opem, & auxilium imploreret; non mirum, flagella, ac plagæ tantam eruditionem dare solent; ut qui antea Dominum negabat, modo flagellatus Dominum confitetur. Orig. hom. 3. in Exod. Orig. Audi, quid respondeat princeps hujus mundi, nescire se Deum dicit: Vides quid agit cruda superbia? donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur. Denique videbis eum paulò post, quantum proficit in flagellis, quantum melior verberatus efficitur. Iste, qui modo dicit. Nescio Dominum. Postea cum vim senserit verberum dicitur est. Orate pro me Dominum: Ecce Pharaò durissimus, tamen proficit verberatus. Vide supra c. 3. q. 48. n. 430.

Apoc. 8. n. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

Et vidi, & audivi vocem unius Aquilæ volantis per medium Cœli dicentis voce magna vae, vae, habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.

VERSIONES.

Syrus n. 12. Et ille quartus Angelus tuba claxit, &c. ut obtenebraretur tertia pars earum, & obtenebratae sunt: ut & dies non luceret tertia parte sui, & nox eadem similiter.

Arabicus. Denique quartus Angelus claxit buccina, & obscurata est ob id tertia pars solis, &c. tertia pars earum obtenebrata erat, & non apparebat, & dies erat similis nocti.

Arias. Et dies non luceret tertiã partem sui, & nox similiter. T c Primasius.

161. Cum præful ruit, faciliè grex hæretic. 162. Aretas. 163. Habac. 1. Tribulatio & plaga illuminant intellectum. 164. Jerem. 1. Calamitas optimus minister eruditio. 165. Rabbanus.